



Miscel.

0.



26. 34.

16
O R A T I O
D E G E N T I
B V S Q V Æ D I L A C E
*rarunt Imperium Romanum
in Occidente,*

RECITATA A DECANO
COLLEGII PHILOSOPHICI,
Magistro IOHANNES BVGENHA
GIO, cū tribueretur testimonium doctrinæ
*triginta nouem honestis ac doctis viris, in
Academia VVitebergensi, die
quinta Martij, Anno
1566.*

ADDITA EST QVÆ
STIO DE DVOBVS DE
*cretis Synodi Tridentinæ, editis con
tra coniugium.*



V V I T E B E R G Æ
ANNO 1566.

ORATIO DE
GENTIBVS QVÆ
dilacerarunt Imperium Roma-
num in Occidente.



NA EST CON-
solatio, & portus vnus
piæ menti spectanti di-
lacerationes tristissimas
Imperatorum, et gentium inter se con-
fusiones tetras, firma fide statuere
esse Deum conditorem rerum & ge-
neris humani, qui se patefecit misso
filio Iesu Christo, qui per ac propter
hunc filium ex genere humano quan-
quam oppresso miserè ruinis imperio-
rum dispersoq, tamen eidem excerpit
& colligit æternam hereditatem
Euangelij voce in ministerio sonãte,
celebraturã ipsum post has ingentes
ærumnas in æterna lætitia & vita,
quæ plena Deo, plena erit luce diui-

A 2 na,

ORATIO.

na, qui deniq; seruat protegit ac tue-
tur Ecclesiã, etsi ex numero eorũ qui
sunt vera ac viua membra Ecclesiæ,
sæpè multi præstantes viri, & donis
Spiritus sancti excellentes, crudelissi-
mè interficiuntur ab immanissimis
Tyrannis ac spurcissimis & teterris-
simis beluis; vt ab Herode Iohannes
Baptista, à Nerone Petrus & Pau-
lus, à Diocletiano Laurentius, ab
alijs alij. Hanc veram Ecclesiam
cum omni tempore, tum verò maxime,
cùm mutationes impendent ac
ruinæ imperiorum, quæramus, atq;
ad illam nos vna fide & inuocatione
adiungamus, certa diuinarum pro-
missionum fiducia statuentes futu-
rum, vt nunquam illa, donec erit ge-
nus humanum, intereat, quoscunq; ca-
sus imperia perpetiantur, nunquam
in ea vox ministerij conticescat.
Nec

ORATIO.

Nec moueamur potentia hostium
Ecclesie, qualis est Pontificia aut
Mahometica, nec ipsius Ecclesie vel
imbecillitate vel deformitate, vt pro-
pterea aut illos hostes Filij Dei acce-
ptos Deo, nos abiectos ac desertos esse
existimemus, sicut multi de religioni-
bus ex successibus Imperiorum iudi-
cant. Sed discernamus Ecclesiam
à prophanarū & barbararum gentiū
concurſu atq; colluue, & causas inue-
stigemus in fontibus Israël, id est, in
doctrina Christi, Prophetarū, et Apo-
stolorum, cur Ecclesiā in hac vita De-
us nō potentia politijs simili armatā,
sed cruci ac seruituti subiectam esse
voluerit, ac precemur assiduis & ar-
dentibus votis, vt mitiget calamita-
tes, quas ruentia Imperia adferunt
& infligunt Ecclesie, nec sinat effi-
ci infinitam vastitatem. Conside-

A 3 remus

ORATIO.

remus & in ipsis mutationibus Imperiorum, finem arcanorum iudiciorum Dei & consiliorum. Nam harum occasionibus sæpè latius propagatur Ecclesia, & ad societatem agminis sancti perducuntur externæ gentes effera & indomitæ, quæ paulatim exuta immanitate mitescentes efficiuntur electa vasa misericordiæ, Sicut ab excidio Hierosolymitano Ecclesia captiuitate Babylonica è Palestina traducta in Assyriam multas Imperij Babylonici ac Persici gentes ad veram Dei agnitionem conuersas suo cœtui adiecit, quæ conseruata memoria ac possessione promissionum & vaticiniorum cœlestium de futuro Messia, vsq; ad Christi aduentum manserunt Ecclesiæ membra. Et confirmatis in Occidente viribus, Franci post longa bella restituerunt Ecclesias & Imperium.

De

ORATIO.

De his rebus commonefactus
præfagijs fatalium mutationum, quas
orbi terrarum & prodigia plurima,
& commouentes sese gentes diuersæ,
& inclinata ad ruinam regna por-
tendunt, cum hoc tempore cogitarem,
quo vsitato Scholæ more aliquid in
hac solenni & publica festiuitate di-
cendum est, existimaui me non factu-
rum rem ingratham auribus vestris,
si quædam ex historijs repeterem de
ijs gentibus, à quibus Romanum Im-
perium in Occidente conuulsum atq;
euersum, ac vicissim instauratum le-
gibusq; ac iudicijs præclarè constitu-
tum ac munitum, sedes fuit deinceps
multis annis non tantum sapientiæ,
iustitiæ, doctrinæ artium honesta-
rum, ac disciplinæ sanctioris & se-
uerioris, sed & religionis veræ ac
pietatis, præsertim cum ab vna penè,

A 4 aut

ORATIO.

aut cognata saltem origine prouenerint eæ gentes omnes, quæ ex Oriente in Occidentem infusæ nostram primùm patriam & gentem condiderunt, indeq; velut colonijs deductis reliquas prouincias Romani Imperij compleuerunt, vt vna Germania vicinarum gentium quasi parens censeretur possit. Et virtus est & diligentia digna eruditis, quærere gentium ac præsertim maiorum suorum stirpes: Cum quia sensu insita animis, natura inuitat ad cogitationem de parentibus, tum quia exempla virtutum in maioribus imitationis causa intueri vtile est. Etsi enim in dilaceratione imperij Romani à maioribus nostris magnæ vastationes effectæ sunt, punit enim Deus peccata omnium gentium mutationibus talibus: tamen & in ipsis bellis

ORATIO.

bellis fortitudo atq; industria, & confectis bellis sapientia ac iusticia eorum in regnorum constitutione ac gubernatione conspicitur. Non enim vt hodie Turcæ, deleuerunt leges, iudicia, doctrinas, religionem, Sed in occupatis prouincijs harum rerum studia excitarunt, & magna cura disciplinam honestam rexerunt ac retinuerunt.

Non instituam disputationem de causis terribilium illarum migrationum, quæ omnium penè prouinciarum in Europa colonos vel mutarunt vel confuderunt, vicissitudine creberrimis nouarum gentium successibus admirabiliter variata, sed prorsus fatales fuisse, atq; ad regulam Danielis referendas esse statuo, qui inquit: Deum constituere & stabilire

ORATIO.

*bilire Imperia. Neq; opus est vt
 procul quæramus vel abditas atq; oc-
 cultas in prouidentia diuina, vel cæ-
 lestes causas in astris proximas a-
 spiciamus. Cur fiant translationes
 Imperiorum docetur dicto Salomo-
 nis, βασίλεια ἀπ' ἔθνους εἰς ἔθνη μετα-
 γεται, δι' ἀδικίας καὶ ὑβρισ καὶ χήματα
 δολία. Huc conferatur species Roma-
 ni Imperij post Augustum. Quàm
 tetra monstra sederunt ad summa gu-
 bernacula in eo fastigio, in quo luce-
 re & conspici debebant virtus ac sa-
 pientia? Quanta & quàm assiduæ
 secutæ sunt seditiones, quàm multa
 & atrocia ciuilia bella? Nobilitas
 deleta est partim à tyrannis, partim
 in ciuilibus bellis. Exercitus ex
 barbaris gentibus collecti cæteras
 amplissimæ prædæ spe, ceu inescatas
 pellexerunt ad prouincias Romanas
 appe*

ORATIO.

appetendas, & quasi fores eis aperuerunt. Disciplina vetus extincta est. Magistratum et militum in prouincijs rapacitas & libidines creuerunt in immensum. Gertos primùm ad inuadendas prouincias Romanas exiuit & impulit summa occasio, ex viribus Imperij fractis tot bellis ciuilibus. Francica auxilia in Galliam accersita ad expellendum Lucium præsidem Honorij, qui rapuerat uxorem viri nobilis, occupata primùm vrbe Treuirorum, reliquam mox Galliam subiugarunt.

Sed non integras mihi propositum est historias recitare. Idcirco præcisus his ad institutam de gentibus commemorationem venio.

Etsi magna fuit negligentia scriptorum, qui res Romanæ quomodo

ORATIO.

modo discriptæ sint, literis monumentisq; cōmendarunt, ita vt verè ab Antonini Philosophi etate historia cum imperio ex aurea cœperit fieri ferrea, horrida, inculta, rudis, Tamen si quæ extant peruestigemus & euoluamus accuratè. Romanas in Europa vires à tribus præcipuè gentibus accisas & euersas esse reperiemus.

Has gentes origine & linguis distinguo. Primam eam pono, quam *ἑμογλώττα* fuisse, & nostra vsam esse lingua, dialecto tamen varia, non obscuris historiarum testimonijs constat. Sub hac comprehendo Dacos, Getas, Alanos, Vandalos, Sueuos, Burgundos, Herulos, Rugios, Tyrigethas, Gepidas, Saxones, Francos, Longobardos, Boios, Anglosaxones.

Altera

ORATIO.

Altera Scythica fuit effusa è vastis solitudinibus Orientis, instar torrentis aut procellæ. Hunnos eam nominant. Tertia Heneta seu Sarmatica prædictis nostris gentibus inde vsq; à vetustissimis temporibus, quantum colligi ex annotatis historiæ potest, contiguas sedes semper habuit, & earum vestigijs, quocunq; illæ sese verterunt, promotis domicilijs, assidue inhæsit atq; institit.

Vandalis & Sueuis exceptis reliquæ ante Antoninorū tempora, vel potius ante distractionem sub Galieno factam, quæ quod reliquum fuit de imperio, domesticis discordijs & mutua inter se ducum laniena prorsus discidit atq; diuulsit, reliquæ ergo inter Germanicas gentes veteres à nullo scriptore memorantur. Sed
cum

ORATIO.

cum Bastarnis Vandali & Sueui
versus ortum constituuntur postremi
propemodum ad Borysthenem vsq; et
pontum Euxinum atq; Istri ostia.
Burgundos Ptolemeus iam Henetis
annumerat, etsi dubium non est diuer-
sam ab Henetis gentē ac nostris com-
munis linguæ societate & morū atq;
originis similitudine cognatos fuisse.

Processisse has gentes paulatim ex
Asia in Europā, tandemq; intra Istrū
et Tanaim flumina, ad pontū et Mæo-
tidem ultra citraq; iuga Carpathi
montis consedisse Græcæ Romanæq;
docent historia, & ostendunt monu-
menta in Asia gentium & locorum
Ἐμνοῦμωρ. Dacorum sedes fuit ad Car-
pathi radices intra eos montes, qui ho-
die Transyluaniā cingunt, qua hæc ex
conclusis vndiq; & angustis vallibus,
in apertum ac patentem Muldaviæ
Vualla

ORATIO:

Vallachiaeq; planiciem versus Istri ripam Boream sese expandit. Hi primi Romana irritare arma & tentare infestareq; prouincias Decebalo duce praestante & exercitato fuerunt ausi, cum staret adhuc & floureret robur Imperij. Eosdem, cum deuicto Decebalo nihil se profecturos experirentur, versus Occasum paulatim iuxta Carpathi iuga ad Sueuicum mare processisse, & via vi facta, seu pulsis ac summotis seu oppressis Sueuis, qui omnem eam regionem quae nunc Rossarum, Polonorum, Silesiorum, Pomeranorum & Marchiae est, perripisse, atq; in Germaniam hanc nostram ad littus Balthicum peruasisse, ubi condiderunt in Cimbrica Chersoneso, & gentem potentissimam Danicam, & regnum florentissimum ac vetustissimum, Cimbris Teutonibus, Ambronibus ac Marsis exclusis, non est cur dubitemus.

Sue.

ORATIO.

Sueuorum pars è veteri sede vltra Balticum mare reiecta, Suecicæ genti originem dedit. Pars sub Imperio Valeriani & Galieni peruastata Gallia in Hispaniam penetrauit, & Gallætiã obtinuit, quam septimus è Sueuica gente rex administravit, vsq; ad Gotticas irruptiones. Pars intra Meridionales limites Germaniæ & ad Noricorum, Vindelicorum ac Rhetorum fines Romana arma exercuit, vsq; ad Alemannorum aduentum.

A Dacis proximi Getæ, qui postea Gotti sunt nominati, Romanas provincias Decio imperante inuasert. Ab Istro enim progressi accesserunt ad Thraciam, & postea eundem, quem antea Daci, tractum à Pannonia vsq; ad littus Balthicum, et vicinas insulas, vbi Ostgottorum

ORATIO.

Et *West* *Gottorum* reliquiae sunt, compleuerunt, *Dacis* intra *Cimbri-*
cam *Chersonesum* compulsis. Inde
rursus seu sponte egressi, seu eiekti,
primùm *Pannoniam* & *Mysiam* oc-
cuparunt, regno ibi excitato, *Valentis*
tempore. Deinde pars eorum *Italiam*
occupauit sub *Honorij* imperio, quae
tandem pace facta cum *Honorio* &
affinitate iuncta, discessit in *Galliam*,
& inde in *Hispaniam*, cuius magna
pars interea à *Sueuis*, *Vandalis* &
Alanis occupata erat, quos è *Gallia*
Constantius pepulerat. Haec regnum
in *Hispania* condidit, quod attracti
ex *Aphrica* *Sarraceni* contra *Rode-*
ricum Regem, post annos circiter qua-
dringentos, deleuerunt. Vocantur
autem in historijs *Ostgotti*.

Pars multò maxima remansit
in *Pannonia* *West* *Gottorum* nomis

B ne. Hi

ORATIO.

ne. Hi rursus deinceps Theodosio imperante Italiam obtinuerunt, Sed eadem rursus exciderunt sub Iustiniano, victi deletiq; à Narse Eunucho auxilio Longobardorum. Francos ex veteribus colonis Germaniæ, Cimbris, Chamauis, Caycis, Teutonibus, Sycambribus, Cheruscis coijsse, et obdepulsam à cervicibus suis iugum alieni imperij, quod novarum gentium irruptiones intentarunt, gloriosum vindicatæ defensæq; libertatis nomen vsurpasse multis coniecturis moueor. Et gentis & nominis in Galieni historia primùm fit mentio, contra quem Posthumus, qui Galliam rexit, triginta Francorum millia armauit. Nec vetustiore reperio. Nam Strabonis locum supposititiũ esse vereor. Excellentem fuisse huius gentis virtutem testatur magnitudo rerum gestarum.

ORATIO.

starum. Nam & in Gallia regnum
constituerunt, quo multis seculis nul-
lum est magis ornatum legibus, do-
ctrinis & iudicijs, & rudera conuul-
si imperij instaurarunt, & custodes
fuerunt totius Europæ præcipui con-
tra Barbaras gentes. Ad Rhenum
verò & Menum flumina primùm eos
hoc nomine claruisse minimè obscu-
rum est.

Ab Alemanis cur Alanos discer-
nam non video. Hos Getarum sobo-
lem facit Dion. Innotuerunt Germa-
niæ sub Valerio Probo, & omnem
inter alpes & Moguntiam regionem
Rhetorum nomine abolito tenuerunt,
suisq; paruerunt regibus, quibus cum
Franci stabilito in Gallia regno lon-
ga bella gesserunt, donec excisa re-
gum stirpe, & domitis subditis, re-
gionem redigerunt in formam pro-

B 2 uincia.

ORATIO:

uincia. Inde efferre se rursus Sueuorum nomen qui eis admixti fuerunt, & Alemannos obscurare cœpit, donec in Germania horum penè memoria exoleuit. Exteræ gentes enim, Gallica præsertim & Italica, nomen Alemannorum conseruarunt. Pars Alanorum socijs Sueuis & Vandalis, percursa ac direpta Gallia, sedes in Hispania fixit. Vandali enim Beticam Honorio imperante occuparunt, regno constituto, cuius rei argumentum est Vandalusiæ nomen, in tractu circa Hispalin ad Betim fluum.

Sueui Gallætiæ vt dixi subegerunt. Alanorum reliquiæ substiterunt cis Iberum fluum in Celtiberorum veterum patria, vnde Catalanniæ nomē superest, quod vel à Gotis & Alanis, vel à Cattis & Alanis, profectum

ORATIO.

profectum conijcio. Oppresserunt has gentes Gotti Occidentales. Sed Vandali Hispania pulsī, traiecerunt in Africam, ibiq; Theodosio imperante, cæso Bonifacio exercituū Romanorum duce, & Carthagine occupata, regnum excitarunt, quod deinceps Sarraceni destruxerunt. Vandalos à Plinio antiquissimis Germaniæ populis accenseri notum est, nec coniecturas improbo quorundam, qui Flandros Vandalorum progeniem faciunt. Burgundi ex confinio gentis Henetæ ab Oriente progressi secundum littus Balticum, circa Megapolensem regionem primū, deinceps ad Niciū & Rhenū innotuerunt. A Gottis enim profligati sedes quæsiuerunt nouas apud Alemannos, sub Valentiniani principatu. Inde reiecti transferunt in Heduos & Ve-

ORATIO.

romanos, & Reges eorum assiduis
bellis cum vicinis Francis contende-
runt de finibus, vario euentu, donec
redaeto sub Francos imperio Occiden-
tis Burgundica potentia concidit.

Saxones rei nauticae peritia cele-
bres fuisse Sydonij Apollinaris car-
men testatur.

*Isthic Saxona Cerulum videmus,
Assuetum ante saelo solum timere.*

Nomen apud Ptolemæum legitur
inter Asiaticas gentes, inter quas &
Sacas Herodotus numerat, quæ ap-
pellationes affines inter se sunt. Pri-
mus cum his infra Coloniam Agrip-
pinam in Tungris dimicauit Valen-
tinianus. Postea & alij tanto quidē
cum discrimine, vt de Saxonibus Si-
donius Apollinaris scribat, Nullus ho-
stis hoste Saxone truculentior, Nec
robore

ORATIO.

robore tantum & audacia, sed etiam
consilio & arte vincit. Gottis &
Dacis pulsis occuparunt eam regio-
nem que Saxonia nomen sibi ab ea
gente vendicavit.

Attilam & Hunnos Gensericus
Vandalorum rex attraxit in Hispani-
am contra Gottos, Progressum in
Galliam ad Tolosam vsq; deuicit
Aëtius Romanus præses auxilio
Gottorum & Francorum. Trucida-
ta sunt in eo prælio centum & octo-
ginta millia hominum, sub Marciani
imperio. Oppresserat autē Attila Got-
tos Orientales in Pannonia, Sed ea
mortuo Ardaricus rex Gepidarum
regnum filijs Attilæ ereptum recupe-
rauit, trucidatis triginta millibus
Hunnorum. Hos reuersi post cen-

B 4 tum

O R A T I O.

tum annos Iustiniani tempore Hunni, sed aucti societate vicinorum Auarum, rursus oppresserunt.

Gepidas autem Gotticam gentem esse, unde Cepusij reliqui sunt, ex Iornande constat.

Cæpit hoc tempore irruptionis Attilæ regnum Boiorum in Norico & Rhetia, conditum ab ea gente, quæ Bohemiam antiquitus incoluit. Non poterant enim eas prouincias Romani amplius defendere. Odoacer Rugianus post Zenonis mortē adduxit in Italiam ingentem exercitum ex Rugijs, Gepidis, Herulis & Turingis collectum, atq; in ea grassatus est totos annos quatuordecim. Turingi ijdem sunt qui Tyrigethæ, Pars harum gentium multo maxima sese versus Occasum vertit, & Successit Saxonibus. Originis Gotticæ

cæ

ORATIO.

ca sunt omnes. Rugij verò & Heruli eam oram maris Baltici obtinuerunt quæ hodie est Pomeranorum. Turingi seu Tyrigethæ mediterranea inter Sudetes montes, & iuga Herciniae. Hos finitimi ad Istrum Mysi comitati in his etiam regionibus propè eos cõfederunt, Mysorum gente ex sese propagata. Thuringorum in Germania regnum potens atq; opulentũ, tandẽ absumpsit potentia Francica. Longobardi ad medium Albis antiquas sedes habuerunt. Inde terribilibus his gentium migrationibus fugati, accesserunt cum familijs suis ad eam Pannoniæ oram, quæ Italiæ propior est, vnde aduersus Gottos inuitati sub Iustiniano à Narse Eunucho, illis domitis Cisalpinam Galliã occuparunt, regno inchoato peculiari inter Alpes & Apenninum, quod

B 5 annos

ORATIO.

annos ducentos quatuor duravit.

Anglosaxones Britanniam australem, eiectione colonis veteribus, ad quorum fuerant defensionem conducti: Picti vero et Scotti, cognate cum Saxonibus originis, borealem crebris antè incursionibus fatigatam tandem edomuerunt.

Hæc de nostris gentibus commemorare visum fuit, ut inuitarentur scholastici ad legendas integras historias, & origines harum gentium exactius cognoscendas. Sunt autem è vestigio has nostras gentes insecute Sarmate & Heneti, qui & in veteri patria ad Tanaim et Istrum iisdem assidue incubuerunt. Hæ versus occasum omnè à Tanai flumine ad Albin usque, & mare Balticum regionem nostris inde summotis subiugarunt, &

Sorae

ORATIO.

Soraborum ac Vinedorum distinctos
populos procrearunt, quibus cum ex
parte vna Turingis initio, deinceps
Victoribus Francis, ex parte altera
Saxonibus bella difficilia & longa
fuerunt. Maturè enim præsidia limi-
tibus contra Sorabos imposita esse te-
gimus.

Versus meridiem verò per Thra-
ciam, Mysiam & Macedoniam, Bul-
gros, quibus Volga fluuius nomen
fecit, Rascios item seu Rossos, Ser-
uios seu Sorabos & Croatas, Dalma-
tasq; disseminarunt, miserè lacerata
discerptaq; ea parte imperij Constan-
tinopolitani.

Cùm autem tantas in genere
humano confusiones intuemur, deplo-
remus ingentes misérias humanas, et
simul cogitemus, non tamen vniuer-
sum genus humanum tantum ad hæc
borren-

ORATIO.

horrenda mala, & ad has maētationes mutuas atq; confusiones nasci, sed verè filium Dei missum esse, vt inde excerpāt æternam Ecclesiam, cuius efficiamur ciues, & protegi ac seruari nos in ea petamus, præsertim in hac postrema & delyra mundi fatihiscentis senectæ, quam prædictum est maiores ac deteriores religionum & imperiorum confusiones perpessuras esse.

Te itaq; æterne, viue, vere, omnipotens, iuste, misericors Deus, æterne pater Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, conditor generis humani & Ecclesie tuæ angelicæ & terrestris, toto pectore oro, vt per & propter æternum filium tuum colligas tibi inter nos semen sanctum, voce doctrine tuæ, & sanctifices nos
Spiritu

ORATIO.

Spiritu sancto tuo, mitiges calamitates publicas, & fac nos organa salutaria nobis & multis alijs in genere humano, vt tu honore afficiaris.

DIXI.



QVÆ.

QVÆSTIO

DE DVOBVS DE

cretis Synodi Tridentinae, editis

contra coniugium.



MPONUNT MI

hi necessitatem dicendi in hoc loco inclytæ Academiæ Leges, quibus reuerenter obtemperare & de-

beo & uolo. Etsi igitur me non mediocriter terrent clarissimorum uirorum & Præceptorum conspectus, & meæ imbecillitatis consideratio: tamen scio sapientes iudicare, uerecundiam non debere impedire officium, & maiorem laudem esse in nostra ætate obedientiæ quàm eloquentiæ, aut insignis eruditionis, quæ uix demum in senectâ etiam ingeniosis & diligētibus contingit.

Rectè enim iudico Socratē intempēstiuam sapientiæ persuasionē in adolescente Alcibiade redarguisse, cū inquit: ἢ τῆς διανοίας ἀρχεῖ ὅψις ὀξυ βλέπερ, ἔταρ ἢ τῶν ἰμμάτων τῆς ἀκμῆς λίγερ ἐπιχερεῖ.

Mentis

Mentis oculus tunc clare cernit, quando vigor corporalis aspectus decrefcit. In questione uero proponenda, moueor horum temporum conditione, & miseria. Coiuit enim, ut audiuitis, his proximis aliquot annis, inter horridos illos scopulos Tridentinos, Synodus Pontificia, quam gubernarunt Sophistæ, delecti ex uarijs mundi plagis, sed omnes in eodem artificio excellenter docti: ibiq; editus est partus planè uiperinus, emissus ut ueram matrem Ecclesiam deuoret. Conditi sunt Cænes, hoc est, noui articuli fidei, illisq; Areopagiticis decretis iubetur parere orbis terrarum sine tergiuersatione. Et nunc satellites Pontificij in præcipuis regnis hoc agunt magno cum conatu, ut decreta ista habeantur rata, & Ecclesiæ nostræ, quæ contradicunt, à superiore magistratu deleantur. Talibus enim edictis sanguine scriptis tumentur autoritatem suam Pontifices. Ac Tridentini quidem scopuli olim infames fuerunt propter latrocinia. Obsederat enim angustias & rupes illas

las etiam quasi Synodus & colluuius
quædam λησρικῆ, quam Augustus mis-
so exercitu deleuit ac dissipauit, pro-
pemodum sicut ante paucos annos
agmen Sophisticum collectum in illis
locis, ut Ecclesias nostras perderet,
quod tunc sagittas suas terribilibus
pennis Aquilæ armabat, subito disiecit
heroicus bellator, Elector Mauritius.
Etsi igitur & recens ex iisdem cauernis
prodierunt decreta & imperia, omni-
bus quæ uel in alpibus, uel in Caucaso
sunt scopulis asperiora & rigidiora,
quæ doctrinam Filij Dei & monu-
menta sanctissima optimorum nostro-
rum Præceptorum rabiose iugulant,
tamen Deo iuuante ne nunc quidem
ista consilia, spirantia parricidia & uas-
tationes, perficient quod moliuntur.

Nunc autem ut alia βδελύγματα,
quæ examinantur Deo iuuante suo
loco, non attingam, Quæro, An hæc
duo decreta, quæ inter alia, de coniu-
gio edidit Synodus Tridentina, die 11.
Nouembris, anni 1563. in sessio-
ne

ne octava, sint pia & iusta. In priori
sanciant Sophistæ coniugium in no-
uo testamento esse, uerè & propriè lo-
quendo, Sacramentum, illudq; coniu-
gibus, ut loquuntur, gratiam conferre.
In altero statuunt coniugia Sacerdo-
tum impediri uotis, & legem coelibas-
tus esse iustam, piam, & possibilem om-
nibus. Mouebar perspicuitate
& euidentiâ, ut in tanta uarietate re-
rum hanc materiam legalem eligerem.
Nam cum lex naturæ aliqua ex parte
nota sit, facilius est harum controuer-
siarum dijudicatio. Priorem conclu-
sionem deducunt ex tali fundamento:
Paulus appellat coniugium magnum
Sacramentum in Christo, & in Eccle-
sia, Ergo coniugium, ut reliqua Sacra-
menta, gratiam confert, quæ est con-
iunctionis indissolubilis unio, mutui
amoris perfectio, & sanctificatio con-
iugum. Addunt deinde execratio-
nes in illos, qui docent contraria, & ut
quasi tecti Orci galea, liberius possint
maledicere, reprehensione generali &
confusa utuntur. Non enim discera-
C nunt

nunt doctrinam nostrarum Ecclesiarum à furoribus Anabaptisticis, qui Polygamiam, aut libidinum confusiones stabiliunt, Sicut quidem omnes illi Canones, qui magis sunt distorti, quàm regula Lesbia, pleni sunt talium artificiorum. Extat nostrarum sententia de castitate, & coniugio, explicata dexterrimè & perspicuè. Cur nō eam nominatim, si possunt, ostensis melioribus fontibus impugnant? Vetus enim Ecclesia in damnationibus nominabat personas reas, ut evidens esset indicatio & reprehensio errorum. Sed isti malunt talibus Sinonijis artibus nostras Ecclesias acerbissimè deformare apud potentes, quasi opiniones monstrosè absurdas defendant. Non iudico autem in decreto tantum reprehendendam esse ἀκυρολογία, sed de re ipsa litem esse. Docemus igitur coniugium esse ordinem uitæ à Deo institutum & Deo placentem, & mutuam beneuolentiam coniugum, uerè inuocantium Deum, esse cultū, & taxamus errorem Pontificiorum, qui negant uitam

uitam conjugalem esse castitatem, &
impurū coelibatū consuetudini coniu-
gali præferunt, illiq; meritū æternæ ui-
tæ & beatitudinis contra mandata Dei
adscribunt. Sed coniugium nec est
Sacramentum, nec contrahentes per-
sonæ ideo sanctificantur, aut Deo pla-
cent, sicut fingunt Pontificij. Nam
hæc opinio Pharisæica delet doctrinam
fidei, ad fingit operibus humanis me-
ritum remissionis peccatorum, consti-
tuit Sacramenta propria autoritate, &
Sacramentis tribuit efficaciam ex ope-
re operato. Quæ somnia omnia
sunt contumeliosa in gloriam filij Dei,
propter quem solum personæ creden-
tium recipiuntur & placent Deo, &
qui solus instituere potest ritus exter-
nos, qui sunt signa gratiæ, & per quos
ipse in credentibus est efficax. Nec
mysterium apud Paulum significat eo
in loco cæremoniam sacram, quam
ætas posterior nominauit Sacramen-
tum. Sed imaginem uel picturam rei
arcanae, & admirandæ. Legem uerò
coelibatus, quæ Heliogabalum potius
C 2 deceret,

deceret, quam Episcopos Ecclesiae, etiam impudentius propugnant. Scriptum est inquit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Item: Fidelis est Deus, qui non patitur nos supra id quod possumus tentari. Ergo uotum de uita coelibe, & casta, est possibile uolentibus & peitentibus. Expauesco considerans audaciam humanam litigantem cum *DEO*. Dixit Deus, ut scriptum est, Non est bonum hominem esse solum, hoc est, arcana deliberatione sanxit, & lege immota mandauit, ut homines in hac imbecilli natura in coniugio legitimo caste uiuant: Dicunt contra Romani Pontifices, & Synodus Tridentina, & praecipunt magnae parti hominum ne uiuant in coniugio. Et quanquam uident suam legem esse contrariam esse legi diuinae, eamque parere scelera teterrima, tamen eam falsis fucis & impia tyrannide stabiliunt. Nec tamen fuci isti astuti sunt. Detorquentur enim dicta scripturae ad sententiam aperte absurdam. Discernenda est

da est petitio rerum necessariarum &
mandatarum ab illis, quæ oriuntur tan-
tum ex curiositate humana, contra uo-
luntatē Dei. Nam illis promittitur ex-
auditio, qui petunt secundum uolun-
tatem Dei, non autem petentibus im-
pia, uel non necessaria. Sed quia in
Lege Pontificia multa continentur, de
quibus prodest commone fieri non-
dum institutos, reuerenter oro cla-
rissimum uirum M. Casparum
Crucigerum, ut propter uti-
litatem publicam Scho-
lam de hac quæstio-
ne breuiter eru-
diat.

C 3 RESPON.

RESPONSIO AD QVÆSTIONEM de coniugio.



HT QVAS TV RECEN-
suisti, & similes multas impias
præstigias illius non Synodi, sed
αγορᾶς κερκόπων, quoties le-
go, cogito de querela sapientis
Regis, detestantis Sophisticen, cūm inquit:
Musca venenata corrumpunt suavia unguen-
ta. Quam suauem & dulcem piæ menti
consolationem monstrat concio Paulina, de filio
Dei, faciente fœdus cum natura humana, & ar-
dente simili amore nostri generis, qualis fla-
grat in pectore casti sponsi, qui suauissima σὸς γῆ
complectitur dilectam suam sponsam. Sed hoc
vtilissimum & sublime dictum, quod verè tan-
quam preciosum unguentum ægros animos po-
test demulcere, recreare & erigere, Parasiti
& Sophistæ Pontificij fœdissimè inquinant, &
detorquent ad stabiliendam impiam opinionem
de merito operum, & ad excusandam audaciam
Pontificum, qui suo arbitrio Sacramenta fabri-
carunt, & præsentiam vel efficaciam Dei alli-
garunt ad res extra & præter verbum diui-
num. Cui deinde assertioni addunt aliam de-
terio-

teriorem, in qua horribilem & flagitiosam con-
 taminationem, ex dictis Scripturae scelerate de-
 formatis, defendunt. Verè igitur hoc illis ac-
 cidit, quod olim dictum est: Ἐορβόρω ὑδῶς
 λαμπρῶν μιάνων οὐ ποθ' εὐρήσας ποτῶν.
 Qui limpidum fontem cæno inquinat, nunquam
 inueniet gratam rigationem. Ac rectè iudica-
 pios omnes toto corpore & anima, ad tam im-
 pia legis promulgationem cohorrescere oportere.
 Et meminerimus sapientissimè Paulum
 monuisse, talium decretorum autores esse non
 homines, sed Diabolos, qui odio Dei augent
 spurciciem, vt Deum contumelia adficient, &
 magna agmina hominum, auulsa à Deo, in ætero-
 num exitium trahant. Neq; verò has sermonis
 delicias & illecebras primum genuerunt isti
 δευτεργωμισαί. Collecti sunt isti flosculi ex
 pratis Eccij, Fabri & similium, potius porco-
 rum quàm doctorum. Effudit enim Eccius
 proximè ante mortem petulantissimum scri-
 ptum contra coniugium, de quo nostrum sana-
 etum præceptorem festiuè hoc Comicum vsur-
 pare audiuius: ἢ γὰρ σφονδύλη φεύγει
 πονηρότατον εἶ. Et rabiosior adhuc fuit im-
 pudentia Fabri, qua motus stomachum suū Lu-
 theranū non potuit continere Erasmus, etsi alio-
 qui propter controuersias religionis sibi nõ sole-
 bat attrahere certamina. Miserat ipsi Faber, vt

amico censori, suum librum, cui Erasmus, offensus tanta scurrilitate, inscripsit hoc Epigramma, admodum falsum, librumq̄, autori remisit :

Mente cares si res agitur tibi seria, rursus
Fronte cares si sic ludis amice Faber.

Nunc de re ipsa à te proposita paucis respondeo. Maximè scriptis nostrorum illustrata est coniugij dignitas, & monstrata ratio consilij Dei, qui instituit hoc dulce fœdus inter castos coniuges, ut cogitemus ipsum esse mentem castam, eamq̄, segregemus ab omnibus naturis spurcis & incestis, & ut, hoc modo propagato genere humano, filio ipsius æterna Ecclesia colligatur. Verè igitur pia consuetudo coniugalis est vitæ genus Deo placens, & cultus Dei, cui Deus promisit ingentia præmia, Sicut ostendit vox diuina. Sed neq̄, ordo ipse per se meretur gratiam vel remissionem peccatorum, quia tantùm illa opera sunt cultus Dei, quæ sunt mandata diuinitus, & fiunt fide prælucente in Christum mediatorem. Et coniugium non est Sacramentum, ut quidem nunc hoc vocabulo utimur. Nam Sacramenta sunt ritus instituti à Christo, & additi promissioni in Euangelio traditæ, ut sint testimonium & pignus promissionis exhibitæ et applicatæ ad singulos. Hæc nihil pertinent ad coniugium, quod Deus instituit ad propagationem huius vitæ, non ad confirmationem

firmationem fidei de bonis æternis. Est autem
vt Paulus loquitur, mysterium magnum, hoc
est, imago significans amorem filij Dei erga su-
am naturam assumptam & erga nos, qui ipsius
massæ inserimur, & ab ea gestamur & alimur,
vt per Spiritum suum effusum in corda creden-
tium, similia efficiat in nostra natura, qualia ef-
ficat λόγος in sua massa, sicut dicitur: Qui
adhæret Domino vnus est cum eo spiritus. Non
ideò tamen propter hanc Allegoriam coniugi-
um est Sacramentum, sicut neq; insitio surculi in
truncum, etsi etiam illa significat coniunctionem
piorum cum Christo, vt dicitur: Ego sum vi-
tis, vos Palmites. Nam Sacramenta non
sunt solum ritus allegorici, vel repræsentationes
Christi absentis, sed actiones cum quibus filius
Dei verè efficax est, secundū suam institutionē.
Et quanquam alio loco inquit Paulus: Sancti-
ficatur vir infidelis per mulierem fidelem, ta-
men non docet, impio propter personam creden-
tem impetrari remissionem peccatorum, Sed
usum coniugij esse sanctum, hoc est, concessum
à Deo, sicut notum est. Ad præstigias verò
turpium votorum, etiam facilis est responsio.
Res petendæ in pia inuocatione sunt, bona pro-
missa à Deo, in voce Euangelij aut legis, non
autem sunt res inuentæ humana curiositate præ-
ter voluntatem Dei. Et quanquam sunt alia

qua heroica dona, vt robur Samsonis, castitas
Iosephi, sapientia Salomonis, tamen ea sunt di-
scernenda à bonis, quæ sunt necessaria singulis,
siue ad salutem, siue ad hanc corporalem vitam.
Et distribuit ea Deus suo consilio, pro vt ho-
mines vult collocare in diuersa vitæ ministeria
& vocationes. Etsi enim vir summus Iohannes
Baptista non generauit, tamen non opus est Mo-
nachum impurum, & flagrantem incendio tur-
pis amoris & libidinum, simile donū à Deo pe-
tere, quia Deus vult esse distinctionem inter he-
roica lumina Ecclesia, & inter alios infirmiores,
quos vult manere intra metas, quas ipse ordina-
uit, nec petere, aut quærere extraordinaria. Or-
dinauit verò ipse expressè, vt hæc imbecillis na-
tura, in coniugio castè viuat. Huic igitur de-
creto omnes pareant, qui in ætate matura
se non idoneos esse ad vitam cœlibem senti-
unt. Alterius etiam dicti de petitione, quod
allegant κολακίαι & κόρακίαι Pontificij, impia
est detorsio. Promittit nobis Deus protectio-
nem, auxilium & mitigationem ærumnarum, in
vocatione nostra. Mouere autem vel suscipere
aliquid extra vocationem, præter mandatum
Dei, est tentare Deum. Talis igitur non spe-
ret à Deo præsidium seu confirmationem suæ
curiositatis, & impia audacia. Vt enim
proijciens se in vorticosum flumen sine necessi-
tate,

tate, non potest habere spem liberationis diuinæ,
ita Monachus prætexens vagis suis libidinibus
vinculum impuri voti, non somniet miraculo-
sam protectionem, aut opem à Deo, Sed memor
sit seuerissimi mandati diuini: In præceptis
meis ambulate, & huius tristic comminationis,
Omnis anima quæ fecerit has abominationes,
eradicabitur de populo suo. Nulla enim vota
debent esse vincula, quibus cogantur homines
peccare, & quibus horribilis ira **DEI**
irritetur. Sed cum in re manifesta non opus
sit proluxa disputatione, non ero longior. Co-
gitent piæ mentes seuerissimum mandatū Dei,
quod castitatem præcipit, & intueantur hor-
rendam iram Dei, quæ in tristissimis Spectacu-
lis pœnarum, quibus opprimuntur contamina-
ti prohibitis libidinibus, conspicitur, quæ
quidem non solum sunt mala corporalia, sed et-
iam furores in anima, sicut in Nerone & multis
alijs apparet. Ac talibus sceleribus impeditur
inuocatio, & amittitur hæreditas æternæ vitæ.
Serio igitur detestemur barbaricam & Cyclo-
picam prophanitatem Pontificiorum, confir-
mantem tantam turpitudinem in vita. Neg-
simus socij illius impie prohibitionis, & parric-
idiorum, quibus illa prohibitio defenditur. Sed
fugiamus istam verè Diabolicam societatem,
queramus veram Ecclesiam, in qua lucet agni-
tis

zio Dei, & inuocatio, secundum patefactiones
diuinas, & toto pectore oremus filium Dei, vt
Diabolum hostem suum atrocius per organa
sua in hac vltima mundi senecta, & in tanta
propinquitate sequuturi iudicij grassantem re-
primat, & nos semper regat & protegat,
vt in vita pia & casta, ipsi & aeterno
Patri ipsius, aliqua per nos
grata fiant.

FINIS.




Pd 263

3
ULB Halle
004 099 613


5b

Me





B.I.G.

Farbkarte #13

16

ORATIO
DE GENTI-
BUS QUÆ DILACE-
rarunt Imperium Romanum
in Occidente,

RECITATA A DECANO
COLLEGII PHILOSOPHICI,
Magistro IOHANNES BVGENHA-
GIO, cū tribueretur testimonium doctrinæ
triginta nouem honestis ac doctis viris, in
Academia VVitebergensi, die
quinta Martij, Anno
1566.

ADDITA EST QUÆ-
STIO DE DVOBVS DE-
cretis Synodi Tridentinæ, editis con-
tra coniugium.



16

VVITEBERGÆ

ANNO 1566.

